

testacea & figulina ritè dici possint: tamen in  
 abjecta hac omnium conditione alii præ  
 aliis Dei donis exculti, non immeritò vasa ar-  
 gentea aut aurea dici possunt. In hac inscri-  
 ptione, argumentum quo hunc librum com-  
 mendat, est ab efficiente instrumento, quod  
 describitur ab adjuncto animæ congregatæ,  
 & cum Ecclesia se colligentis. *Salomonem*  
 enim concionatorem in Ecclesia constituere  
 (quod recepta interpretatio confirmat) pla-  
 nè ἀθεόλογον est: maximè postquam à verita-  
 te semel agnita defecisset. Qua de re vide  
*Ezech. 44. vers. 10. 13. & 2. Reg. 23. 9.* Semel  
 equidem cùm adhuc cum Deo integer esset,  
 publicè in templo precatus est, sed post tam  
 foedum lapsum concionatorem egisse, alie-  
 num est. Deinde cùm certum sit illum re-  
 sipuisse, ut quem pluribus testimoniis à Deo  
 electum & amatum esse constat, ubi tandem  
 locorum hanc resipiscentiam testatam esse  
 reperiemus, si ab hoc loco discedatur? Inter-  
 fuit autem, ut resipiscentia ejus testata poste-  
 ritati relinqueretur, cùm de salute per Scri-  
 pturas prædicta constaret, tùm etiam ut nul-  
 lum nisi resipiscentem salvum fieri posse in-  
 telligatur. Ex quo illud liquet, *Salomonem* ob  
 sua scelera ex Ecclesia peregrinantē, in ejus-  
 dem Ecclesiæ gremium seu sinū per pœniten-  
 tiam (quã hoc libro testatã obsignavit) se re-  
 cepisse;